



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DISSE<sup>13</sup>RATI<sup>O</sup> IVRIS NATVRALIS:

DE  
**GENVINO FONTE**  
**IVRIS VITAE AC NECIS.**

QVAM  
AVSPICE DEO  
PRAESIDE

**CHRISTOPHORO FRIDERICO**  
**SCHOTT,**

PHILOSOPHIAE MAGISTRO,  
MORALIVM, ELOQV. AC POES. PROF. PVBL. ORD.  
FACVLTATIS PHILOS. h. t. DECANO,

PRO CONSEQUENDIS  
**SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS**  
a. d. VIII. OCTOBR. C<sup>1</sup>CCCLVI.

IN AUDITORIO PHILOS. AESTIVO  
HORIS CONSVENTIS  
TVEBVNTVR

IOHANNES GOTTLIEB WALZ, Schorndorffensis,  
IOHANNES LEONHARD ESSICH, Megalō-Bottwariens.

MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATI, ET SERENISSIMI  
PRINCIPIS STIPENDIARII.

TVBINGAE, LITTERIS ERHARDIANIS.





*Q. D. T. O. M. B. V.*

§. I.

uanquam cum Jura, quæ ex Majestate fluunt, omnia, tum illud etiam, quod summis Imperantibus in vitam civium competit, tam firmis a pluribus jam ad- structa & demonstrata sunt rationibus, ut dubium esse non possit, recte ea ex juris naturalis dictamine summo civili imperio tribui: tamen haud superfluam forsitan naturi sumus operam, quando in genuinum posterioris hujus juris, quod & Jus vi- tæ ac necis dicitur, fontem data opera inquirimus, atque an rationes, quibus hactenus munita fuit hæc do-

Etrina, ejusmodi sint, ut nec fortiores nec propiores allegari possint, dispicimus. Ea namque veritatum singularium est indoles, ut non una ratione adstrui queant, sed pluribus saepe iisque admodum a se invicem diversis argumentis comprobari possint apodictice, cum pro diverso earum cum aliis veritatibus magis cognitis nexu jam ex hoc jam ex alio latere ad eas stabiliendas pateat aditus. Neque etiam dici potest, perinde esse, qua via demonstratio procedat, dummodo nihil contineat vi- tii; cum in disciplinis maxime, quæ seriem aliquam sive catenam veritatum inter se cognatarum & indivulso nexu unitarum nobis sistunt, haud sufficere videatur, ut de asserti alicujus veritate ex ipsis nexus cum alterius cu- jusdam familie veritatibus convincamur, sed præterea quoque requiratur, ut de isto nexus, quem ipsa disciplina stabilire satagit, sufficienter constet. Quod ipsum mani- festo est argumento non omnes rationes, quibus veri- tas aliqua potest confirmari, licet nec singulis omnis de- negari possit apodixis, ejusdem esse momenti, sed pro diversitate instituti alias esse remotores, alias propiores. Ut vero, quæ hactenus diximus, exemplis illustremus, eo minus videtur necessarium, quo evidenter ea ex to- ta hac nostra tractatione patebunt. Ita autem versabi- mur in hoc argumento, ut primo ex quibus fontibus alii hucusque Jus vitæ ac necis derivarint, ostendamus, de- inde vero nostrum de illis judicium addamus, atque tan- dem fontem illius Juris magis genuinum aperiamus, qui, licet hactenus paucim nelectus fuisse videatur, nihilo minus tamen ita est comparatus, ut nulla alia ratione vel proprius vel convenientius atque certius Jus vitæ & necis adstrui possit. Non vacat nobis ea, quæ dicenda sunt, multiplici lectionis apparatu distinguere, cum sero ad- modum, ut disputandi materiam sibi præberemus, a no- bis petierit Honoratis. DDnn. Respondentium biga, & tempus

tempus instet, quo labores hi ex veteri consuetudine sunt absolvendi. Dabimus tamen operam, ut ex iis, quæ ad argumenti tractationem requiruntur primario, desideretur nihil.

## §. II.

Ut vero perspicue exponamus, ex quo fonte deduxerint, & quibus argumentis firmaverint Jus vitæ & necis summo Imperio competens plerique Juris naturalis Doctorum, haud opus est, ut singulos excitemus, eorumque effata singillatim afferamus in medium, quippe quod & prolixum nimis & tædiosum foret, cum inter omnes ferè conveniat. Unus itaque instar omnium nobis erit B. ROESLERVS, qui in *Dissertatione prorsus egregia atque erudita de Jure summorum imperantium in vitam Civium, anno MDCCXIV. edita*, quæcunque huc pertinent, uno fascie collegit. Is vero statim in limine agnoscit, cum inter Philosophos recepta paßim sit sententia, summam potestatem per pactum imperantibus deferri, non adeo liquidum videri, quomodo a civibus potestas in vitam suam, quam ne ipsis quidem habent, conferri possit. Sed statim addit, hæc, quamcunque speciem habeant, eo tamen non valere, ut stante etiam Philosophorum ista sententia Imperantes eximio jure possint exuere. Quod ut prober, triplici arguento utitur. Primo enim ostendit fieri posse, & frequentissime fieri, ut quis consensu suo qualitates morales, quarum numero etiam jus in vitam censeatur, in altero producat, quas ipse tamen non habuerit formaliter, cuius rei exemplum allegat hoc, quod promissor in promissarium conferat Jus a se exigendi promissum, quod in promissore antea fuisse nemo dixerit; in primis vero per consociationem multorum oriri posse qualitatem aliquam moralem, quæ tamen in singulis non fuerit, quod PVFENDORFFIVS simili

simili illustret, de Jure Nat. & Gent. L. VII. C. III. §. 4. multorum scilicet voces invicem attemperatas harmoniam producere, quæ tamen in singulis haud extiterit. Secundo, addit, licet nemo sit vitæ suæ dominus, facultate tamen gaudere homines, utpote non sibi solis natos, vitam suam pro aliis discrimini exponendi, ad id præstandum perfectam obligationem subeundi, arbitriumque ejus exercendæ in alium maxime eos, quibus securitatem suam præprimis debent, conferendi; præterea quoque quemlibet jus habere securitati suæ consulendi, idque alteri dare posse, cum autem sine jure vitæ exerceri nequeat, apparere, sic jus vitæ simul, non quidem immediate, sed mediante illo jure, concedi. Tertio denique jus illud summorum imperantium in vitam civium, quemadmodum ipsum summum imperium, cuius pars quædam sit, auctorem habere ipsum DEV M dicit, qui uti societates civiles non modo approbarit, sed & tanquam institutum ad legis naturæ majorem observantiam & generis humani multiplicati salutem necessariam præceperit: ita prima atque principalis sit causa mæjestatis. Quicquid igitur heic cives conferant, id a divina concessione, imo a divino præcepto ultimam suam habere originem.

### §. III.

Habemus hic summam eorum, quæ pro adstruendo hoc Jure Majestatito communiter adferri solent, quæque cum a P V F E N D O R F F I O tum ab aliis viris doctis paßim fuerunt adhibita, & tantum abest, ut nihil hisce argumentis inesse roboris contendamus, ut potius facile largiamur, contentos nos iis esse posse, nisi proprietior quædam via id demonstrandi suppeteret. Interim tamen negare haud possumus, haud contemnendis eas quoque premi difficultibus, quas, antequam alium fontem, ex quo jus

*jus vitæ & necis*, uti quidem nobis videtur, propius & certius derivari potest, recludamus, modeste heic expōnere omnino licebit, quamvis id neutiquam eo animo a nobis fiat, ut censuram aliquam in tantos viros nobis arrogetmus, sed ut tantum appareat, non absque ratione nos de alio Jus vitæ ac necis demonstrandi modo fuisse sollicitos.

#### §. IV.

Ante omnia vero licebit observare, B. ROESLERVM non ire inficias, Jus vitæ & necis ex eodem fonte deducendum esse, ex quo tota Majestas derivatur, cumque hæc oriri dicatur ex delatione jurium, quæ singulis competebant, in summum Imperantem facta, ut illud jus eodem fundamento nitatur, omnino requiri. Neque certe pronunciari potest aliter, cum manifestum sit, unde totum progignitur, inde progigni quoque debere singulas ejus partes. Aut igitur falsum erat, totam Majestatem per pactum Imperantibus deferri, aut hoc quoque jus ex ejusmodi delatione erat repetendum. At vero hic statim obversabatur argumentum in contrarium: Quod quis non habet, id alteri nec potest deferre. Jam vero nemo jus habet in vitam suam; ergo nec quisquam illud potest deferre in alterum. Ipsèmet Vir Celeberrimus hoc dubium sibi movet, & tria illa argumenta, quæ recensuimus §. II. nullum alium in finem protulit, quam ut thesin suam adstruendo simul huic difficultati occurreret. Manifestum enim est, primum argumentum eo tendere, ut majoris propositionis vis infringatur, secundum & tertium vero ad minorem, quam dicunt, propositionem destruendam adhiberi. Quod vero ad posterius duplici argumento utatur, inde fit, quia de Jure Imperantis in civium vitam generaliter agit, quod ipsum duplicitis generis est, alterum indirectum, quo pro salute communi civium vitam

tam ultimo exponere potest discrimini, alterum directum, quo in facinorosos & graviorum delictorum reos ultimo supplicio animadvertisit, quod speciatim a nonnullis, quos nos sequimur, Jus vitae & necis, vel etiam Jus Gladii appellari solet. Quum igitur utrumque adstruendum erat, Jus illud indirectum per duos medios terminos secundi argumenti probare instituit; quod itaque, cum nobis de hoc jure sermo non sit, sicco pede prætereundum esse putamus. Si vero quis contenderit, alterum secundi argumenti medium terminum Jus in vitam directum quoque respicere, & eundem fere esse, quem nos in adstruendo hoc jure adhibemus, quapropter nec omitti a nobis debuerit: facile quidem largimur, posse prius concedi, licet non eo fine adducatur, sed manifestum quoque est, & hoc nomine nihil circa eum monendum fuisse; quare præteriri potuit eo magis in hoc nostro examine, quo plura a nobis ad eum evolvendum in sequentibus adferentur.

### §. V.

Consideremus itaque paululum primum & tertium argumentum. Illo adseritur, fieri posse, ut aliquid in alterum deferatur, etiamsi is, qui illud defert, id antea ipse haud habuerit. Provocatur ad instantiam, *promissorem in promissarium conferre jus posse exigendi a se rem promissam, quod in promissore antea adfuisse nemo dixerit.* Stolidum omnino esset contendere, habere quem Jus aliquid a se exigendi; cum enim nemo sibi aliquid debere dicatur, palam est, nec jus exigendi locum habere posse. Natura harum notionum id secum fert, ut in omni Jure vel obligatione binio personarum involvatur. Sed videamus, an hæc instantia nodum soleat? Possum argumentari: Quod quis non habet, alteri deferre non potest; atqui vero nemo habet jus promissum a se exigendi, proinde nec hoc jus deferre potest alteri. At vero absurditas hujus

hujus conclusionis statim incurrit in oculos. Quodsi vero ratiocinatus fuero, retenta eadem majori propositione: Nemo habet jus in vitam suam, quapropter nec illud alteri potest deferre, anne eadem prodit absurditas? Ita quidem haud videtur. Sed quæ est differentia? Major propositio utrinque est eadem. Oportet itaque, ut ratio disparitatis pendeat a minore. Neque quisquam dubitare potest, diversissimas omnino esse has propositiones: nemo habet jus præmissum a se exigendi, &c., quæ altera est: nemo jus habet in vitam suam. Quis enim non videt posteriorem propositionem nihil aliud dicere, quam facultatem nostram agendi per leges ita esse restrictam, ut potestas nobis non sit, vitam nobis abrumpendi, priorem autem hunc sensum prorsus non admittere? Qui enim fieri posset, ut leges nobis interdicerent facultatem præmissum a nobis exigendi, quæ cogitari non potest, cum nemo quicquam sibi promittat? Prodit igitur merus lusus in terminis, & nescio, an ex hac instantia præsidium quæri possit, ad convellendam, quæ opponitur, ratiocinationem. Idem statuendum est de instantia, qua P V P E N D O F F I V S utitur, qui ad id provocat, quod nemo possit sibi legem dicere, cum tamen quilibet deferre alteri possit facultatem sibi legem scribendi. Eadem & hic observatur in dicendo amphibolia. Interim tamen nequaquam negamus, id quod potissimum intendit B. ROESLERVS, ipsam, quam stabilivit, thesin per has instantias confirmari: produci nempe in altero posse qualitates morales consensu nostro, quas ipsi antea haud habuerimus formaliter; neque urgemos, in casibus illis, a quibus desumptæ sunt hæ instantiæ, materialiter illas tamen adsuisse, quod an circa jus in vitam pariter ita se habeat, dubium omnino videri. Facile enim perspicitur, sic in quæstione nobis deveniendum esse ad reliqua argumenta, quæ Vir celeberrimus certe non ea tantum ex ratione, ut cumulum obtineret, adjecit.

B

S. VI.

## §. VI.

Uti vero ad primum argumentum nonnulla monere potuimus: ita nec desunt, quæ circa tertium annotentur. Possunt omnino sic rationes subduci, ut ab eo, quod societas civilis, institutum a Deo & approbatum & quodammodo etiam præceptum, necessario requirit, ad divinam quoque concessionem concludatur. Recte se habet argumentatio: Sine quocunque salus societatis civilis a summis Imperantibus obtineri non potest, illud iisdem a Deo concessum quoque est, qui auctor est summi imperii. Atqui vero sine jure vitæ & necis obtineri non potest; quapropter ejus concessio divina legitime infertur. Quamvis enim nonnullis minor propositio adhuc dubia videri posset, qui vel ergastula & perpetuos carcera, vel alias graviores poenas corporis afflictivas sufficere putent ad salutem reipublicæ fartam rectamque conservandam: nos tamen facile huic argumento subscribimus, sed id tamen dissimulare non possumus, nondum inde constare, quomodo hoc jus per delationem a civibus in summos imperantes transire dici possit. Aliud enim est, concedi a Deo; aliud vero, deferri a civibus. Nihil quidem potest ab hominibus deferri in homines, nisi concedente Deo; sed multa possunt concedi a Deo absque ulla concurrente hominum delatione. Prius itaque illud hoc posterius non videtur includere vel involvere, quod tamen in argumento supponitur, uti ex ultimis argumenti verbis appareat, quod eapropter, quia majestatis prima atque principalis causa Deus est, quicquid cives conferant, id a divina concessione ultimam suam originem habeat. Illa consequentia potest admitti, quod delatio jurium suorum in unum, quo homines in societatem civilem coeuntes summum imperantem sibi constituant, ratio sit, ob quam Deus illi insuper Jus vitæ & necis

necis tribuat; quod vero ipsi quoque simul hoc Jus defenant, id profecto ex hoc argumento non videtur sequi. Hoc enim si statueretur, dici deberet Deus singulis hanc potestatem concedere, sed nullo alio consilio, quam ut eam in summum Imperantem statim iterum deferrent, quas ambages certe heic nemo nec queret, nec ferendas putabit. Quando itaque hoc argumento minor illius objectionis propositio: *nemo Jus habet in vitam suam, refellenda & contraria adstruenda erat, nescio an satis habeat roboris?*

### §. VII.

Conficitur autem ex hac tenus dictis, argumenta, quibus Jus hoc majesticum adseri suevit, neutquam esse reprehendenda, & satis demonstrare, jus illud summo imperio denegari haud posse, neutquam vero eo respectu esse sufficientia, ut simul ex iis intelligatur, qua ratione hoc jus a civibus in Imperantem defERRi queat. Nisi igitur alia praesto essent, agnoscendum ad minimum esset, prodere se hic hiatum in nexu veritatum, quas Jurisprudentiaz naturalis disciplina in materia de Juribus majesticis inter se conjunctas & concatenatas listere debuisset, quique nexus ex bonaz methodi legibus negligi non potest. Supplenda proinde haec est lacuna, quod commodissime fieri potest, quando ex alio fonte, eoque & priore & magis genuino, Jus vita & necis deducitur. Is vero se ipsum aperit, si ad jura, quibus singuli homines in statu naturali gaudent, quaque legi naturali conformiter exercent, recte attendamus. Fatemur, nullum iis inesse deprehendi Jus in vitam suam, sed negari tamen nequit fieri posse, ut in vitam alterius potestatem acquirant. Licet enim nemo jure gaudeat absoluto, alium quacunque ratione multo minus in vita iadendi, tamen, ubi quis nostram petit vitam, vel & bona nostra invadit,

ex conservatione nostri, a lege naturæ injuncta, jus nobis nasci eum vi & cum cœde etiam repellendi, extra omne possum est dubium. Dantur itaque casus, ubi quis jus in vitam alterius consequitur, & cum illud ex conservationis nostri obligatione oriatur, ut omnibus hominibus competit omnino necesse est. Jam vero quo minus hoc jus deferri possit in alium eadem ratione, qua reliqua jura deferri solent, nihil est, quod obstat. Datur itaque via, jus vita & necis etiam ex delatione a civibus facta derivandi. Hac vero ratione summus Imperans, dum jus vita & necis exercet, non quidem eo utitur, tanquam sibi a plebendo delatum esset, sed potius personam invasæ sustinet, qui jus se defendendi in ipsum contulit.

### §. VIII.

Atque hanc sententiam suam quoque fecit B. D. D. CANZIVS, Praeceptor olim noster, quem etiam post fata suspicimus, qui in *Disciplinis Moral. Disc. II. Part. II. Cap. V.* §. 1610. mentem suam sequentem in modum exponit: *Quam subditi potestatem in statu naturali viventes babent adversus aliorum, v. g. injuste aggredientium, vitam: illam potestatem in statu civili summis deferunt imperantibus. Atqui illa potestas ipsam vitam aggressorum censetur in manu babere: ergo hac per statum ciuilium in imperantem collata. Omnia igitur ciuium jura, quibus injusto aggressori necem afferre possunt, in se translata imperans exercet. Ergo pacis publicæ violatores jure suo extremis afficit suppliciis. Plura quidem alia Vit celeberrimus in eodem loco congerit argumenta ad adstruendum Jus vita ac necis, quorum tamen præter hoc nullum legibus methodi adeo satisfacit.*

### §. IX.

Licet vero sic ea, quæ nobis arrisit, via, tanti etiam viri auctoritate probetur, haud tamen hic unice subsistendum

dum esse existimamus. Quum enim moderamen inculpatæ tutelæ tantum in ipso actu invasionis violentæ jus nobis concedat, aggressores cum cæde etiam repellendi, qui certe casus non obtinet, quando summus imperans in delinquentes ultimo suppicio animadvertis; cum porro ipsum hoc jus nec in civitate singulis adimatur, aut in summum Imperantem transferatur, ubi ab eo succurri nobis non potest: apparet ex jure se cum nece aggressoris defendendi nondum sufficienter derivari posse Jus vitez & necis, & aliud quid præterea requiri, ut illud firmiter adstruatur.

### §. X.

Dispiciamus igitur ulterius, quæ porro sint illa jura, quibus homines in statu naturali præditos dicimus. Affine autem est Juri se & sua defendendi jus alterum, quo damni sibi dati restitutionem etiam per vim possunt exigere, quod & jus vindicandi, si termini depurentur, nec vindicta præcise pro actione sumatur, quæ non tam reparationem damni debitam, quam ex dolore alterius voluptatem captat, quæ B. CANZII est definitio in *Disc. Mor.* §. 205. recte dicitur. Tam arcta vero inter duo hæc jura intercedit affinitas, ut hoc posterius nihil aliud sistat, quam prioris juris consequentiam. Etenim qua ratione ex conservatione nobis injuncta jus nanciscimur, nos & nostra defendendi, eadem etiam ex hoc officio fluere debet potestas, quæ nobis ademta sunt repetendi & recuperandi, atque si damnum nobis illatum est, ejus reparationem exigendi; & quemadmodum nos per vim defendere possumus: ita, si lædens reparationem a nobis petitam denegaverit, jus nobis esse debet, eam quoque violenter querendi. Præterea vero ad hoc jus referri quoque debet facultas lædentem cogendi, ut præstita etiam damni dati restitutione insuper quoque de non amplius lædendo

lædendo sufficienter nobis caveat, cum jus se conservandi, ut facultatem damni reparationem querendi tribuit, ita potestatem securitati sua prospiciendi non possit non conferre. Quæ omnia ita sunt clara, ut a nemine vocari queant in dubium.

### §. XI.

Non autem ita planum videtur, an jus damni dati reparationem exigendi vel sua securitati prospiciendi, eo usque se extendere possit, ut facultatem quoque inferat, eum, a quo læsi sumus, vita privandi? At vero licet non adeo expedita esse videatur hæc quæstio, nulli tamen dubitamus, quin recte affirmetur. Primum enim quod adtinet, manifestum est, posse nos lædi in bonis, quæ prorsus sunt irreparabilia, quibusque nullum statui potest pretium, quo soluto satisfactum nobis esse dici possit; qualia sunt conjugum, liberorum, parentum, propinquorum cædes malicioſa & dolosa, pudicitiaz vel nostræ vel conjugis violatio, & quæ ejus generis sunt alia. Quæ omnia ita sunt comparata, ut non minus clarum sit, reparationem & deberi & exigi iuste posse, quam quidem certum est, damna ejusmodi nonnisi per mortem lædentis posse compensari. Qui enim dolo malo & destinato consilio alterum bono irreparabili privavit, is dignus omnino est, qui eandem jacturam sentiat, & nisi talioni locus sit, delictum suum vitæ etiam amissione luat. Quod alterum vero concernit, ea sæpe folet esse scelestissimorum hominum protervia, ut, licet ipsorum insultus vel pluries etiam depulsus sit, numquam cessent, vitam nostram vel directe, vel dum bonis nostris inhiant, aut libertate nostra privare nos conantur, quæ legitime adversus ipsos defendimus, indirecte petendi; quorum in numerum omnes ii sunt referendi, qui latrociniis orbem infestant, vel piraticam exercent seposita omni legum naturalium reverentia.

Quis

Quis vero dixerit, licitum haud esse, imminentibus periculis summis occurrere, & , cum averruncari alia non possint ratione nisi per cædem , perniciosissimorum ejusmodi hominum , invasionem eorum prius esse expectandam , quam saluti nostræ consulere possimus? Quodsi vero id admitti non potest, patet, jus hoc omnibus hominibus potestatem quoque in vitam tribuere.

### §. XII.

Quanquam vero hæc ex rationibus , quas attulimus , ab ipsa rei natura desuntis satis intelliguntur & confirmantur : illustrationis tamen gratia nonnulla quoque adiiciemus , quæ facer codex subministrat, quæque apprime faciunt ad sententiam nostram majori luce collustrandam. Huc vero pertinet lex a Deo populo Israëlitico lata , qua Jus talionis , ubi damnum ab altero illatum erat , observari voluit, eamque non tantum ad membrorum jacturam restrinxit , sed & vitam pro vita fundendam esse pronunciavit ; qua de re plura oracula in sacris occurrunt. Exod. XXI. 24. Levitic. XXIV. 20. Deuteron. XIX. 21. Quamvis enim negari haud possit , leges has ad populi , cui datæ sunt , ingenium & totius reipublicæ Judaicæ indolem accommodatas fuisse ; quamvis porro Optimus Servator ab hac ordinatione Matth. V. 38. recedere videatur, quam difficultatem Theologis tollendam & resolvendam relinquis: id tamen certe inde colligitur , DEum has leges nunquam daturum fuisse , imo nec dare potuisse , si juris naturalis dictamini adversarentur. Pertinet huc etiam jus illud, quod DEVS proximis cæsorum concederat, ut mortem eorum ulciscerentur , & homicidam pariter vita prævarent. Et eam quidem potestatem adeo illimitatam concederat, ut sanguinis , qui dicebatur, vindex homicidam quoque tantum culposum , si ex urbe refugii sui , quarum sex DEVS constitui jussérat, ut qui inopinato & præter inten-

intentionem occideret hominem, a sanguinis vindice tutus esset, si, inquam ex urbe refugii sui egressus esset, impune potuerit trucidare, quemadmodum id perspicitur ex oraculis Numer. XXXV. 10. seqq. & Deuter. XIX. 2. seqq. Quod profecto manifesto est argumento, quæ superius a nobis adstructa sunt, nihil in se continere, quod non cum lege naturæ prorsus conveniat.

### §. XIII.

Cum itaque ex hæc tenus dictis constet, competere cuivis homini in statu naturali Jus se etiam cum cæde aggressoris, si periculum alia ratione depelli haud possit, defendendi §. VII.; competere porro Jus pro ratione damni dati illius reparationem etiam per cædem querendi; & denique Jus quoque esse singulis, securitati suæ, nisi aliter fieri possit, cum cæde prospiciendi, §. XI.: non est, cur amplius de genuino fonte, ex quo Jus vitæ & necis derivari possit, solliciti esse debeamus. Quemadmodum enim illa Jura omnia hominibus omnino in naturali statu denerari haud possunt: ita nullum est dubium, quando in societas civiles coëunt, atque sic omnem suam voluntatem suasque vires omnes in eum resignant, penes quem summum volunt esse imperium, quin ea quoque omnia ab ipsis in summum deferantur imperantem, atque sic Jus vitæ & necis producatur. Omnia vero hac ratione incommoda evitantur, quæ pristinam premebant sententiam. Nullus sic relinquitur hiatus inter veritates cognatas, nulla se exerit lacuna. Ut tota majestas ex delatione oriri dicitur: ita Jus vitæ & necis hoc modo adstructum, prout fieri debebat, ex eodem fonte promanat. Evanescit etiam objectionis species, ad quam tollendam omnes ingenii vires adhibuerunt viri docti, & cujus tamen robur haud penitus infringere valebant, quandoquidem sic summo jure negari potest, deferri aliquid summo imperanti a civi-

civibus, quod ipsi haud habeant, cum evictum sit, tribui omnino debere hominibus illa jura, ex quorum delatione Jus vitæ ac necis deduximus. Præciditur hac via denique etiam illud, quod §. VI. obverti posse monuimus, scilicet ad salutem & tranquillitatem reipublicæ conservandam poenas capitales haud necessario requiri, quippe quod aliis quoque mediis obtineri possit; atque sic omnia sunt in vado & sponte fluunt.

### §. XIV.

Uti autem hæc ratio eminentissimum hoc Jus majestaticum demonstrandi optime se mihi probavit, cum in prælectionibus meis in Jurisprudentiam naturalem privata meditatione inquirerem, quomodo tam gravis materia majori cum perspicuitate & ad pleniorum convictionem Auditoribus posset exponi; quapropter & in *Theſibus inauguralibus elapſo anno vulgatis Tb. XXIX.* eandem simpli- ci propositione enunciatam defendendam suscepit: ita haud mediocrem sensi voluptatem, cum haud ita pridem in Perilluſtris atque Excellentissimi B. L. B. de ZECH, Serenissimi Principis nostri quondam Consiliarii Status intimi, Viri de Patria & Ecclesia non minus quam de nostra quoque Universitate multis nominibus meritissimi, *Meditationes de Origine, indole, effectibus atque bistoria Juris reformandi Regum atque Principum, nec non statuum Imperii Romano-Germanici circa religionem* inciderem, atque eandem sententiam eo, quo singulariter polluit, acumine propositam atque pertractatam deprehenderem. Non potuit non gratus mihi esse summi hujus viri consensus, quo non mediocriter in sententia confirmatus sum; neque existimo ingratum fore benevolis Lectoribus, si præcipua, quæ huc faciunt, ipsis auctoris verbis communicavero. Ita vero pag. 16. l. c. §. 18. differit: *Cum homines tantum agere boni teneantur, quantum fieri potest, tantum etiam se suamque vitam*

*vitam conservare tenebuntur, quantum in ipsorum viribus est, ut nec illam pro lubitu perdere, nec membra sua destruere possint; nullam ergo habebunt potestatem vitam nec membra sua abrumpendi, destruendi, nec ergo illam potestatem in alium transferre, neque de illa pacisci poterunt, cum illud, de quo paciscendum mibi est, mea potestati debeat esse subjectum, quod de vita, quod de corpore meo dici nequit, quantum ad destructionem, quantum ad mortem attinet. Unde ergo jus gladii, jus vitae & necis, quod imperanti in subditos competit? Num ergo vita, num membra subditorum imperio civili erunt exenta, cum de illis pacisci nequeant subditi? Ita enim ex regula videtur dicendum, cum omnem, quam habet potestatem ex consensu subditorum, ex pacto acceperit imperans, qualiscunque futurus. Cum vero singuli jus vitae & necis non habeant, illud transferre in Imperantem non possunt. Sed salva tamen res, imo salvum manet jus gladii, quod Principes gerunt, ex alio fundamento deducendum. Postquam deinde sententiam communem & haec tenus receptam ut insufficientem refutarat, ita pergit: Cum in statu naturali singulis lex naturae curam sui commendet, singuli ad suam conservationem obligabuntur; singuli jus habebunt, omnia impedimenta removendi, quae conservationi sue obstant; mala propellendi, evitandi, tollendi, quae destructio nem nobis afferre poterunt; habebunt ergo etiam jus se defendendi; & siquidem aliter hic finis, vita conservatio, obtineri nequit, etiam cum morte alterius nos nostraque sollicitantis; quodsi damna nobis illata, si bona nobis ablata fuerint, ad quae conservanda tenemur, potestas nobis erit non minor ea recuperandi, repetendi, quam est ea conservandi, nostraque in posterum securitati prospiciendi. Hac vero potestas in statu civili singulis integra hanc permanet, sed in illum translata est, in quem translata est cura defendendi rempublicam, eamque ab omnibus malis tuendi, solo necessitatis casu subditis relieto, in quo, ubi aliter sue saluti consulere nequeunt, tantum potestatis circa sui defensionem adhuc exercere possunt, quantum ad sui conservacionem*

nem adhuc est necessarium. Et hæc quidem origo atque genesis est juris vitæ & necis, quod imperantibus competit. Prolixior paulo hæc erat allegatio, sed digna certe fuit, quæ afferetur. Id unicum adhuc annotamus virum summum in nota referre, se in novam hanc rationem jus vitæ & necis demonstrandi incidisse, cum explicare haud potuerit, qua ratione dici queat, consensu subditorum hoc jus effectum esse in Imperantibus, cum illud licet non formaliter tamen virtualiter habeant, & latatum esse cum postmodum eadem deprehendisset cogitata in libro anglico idiomate scripto, cui titulus fuit: *The rights of the Christian Church*, quiique, utpote juribus Episcoporum infinitissimus, tantos in Anglia motus excitaverit, ut carnificis manu igni traderetur.

### §. XV.

Negari autem non potest, jam ipsum HOBESIVM aliquid de hoc Juris vitæ & necis fonte detexisse, quippe quod a jure se conservandi derivavit, & forsitan vel eo nomine suspecta nonnullis nostra videbitur sententia. At vero, ut taceamus, non omnia capropter statim esse reprobanda, quæ HOBESIO placuerunt, quod scilicet ab ipso profecta sint, cum inficias ire possit nemo, hunc virum, si a falsis ipsius principiis abstrahas, quæ ipsa magis ex sectæ seu factionis studio, ut Monarchomachis se opponeret, quam ex vera convictione adoptavit, plurimum ingenio polluisse, & singulari mentis perspicacia atque iudicio prædictum fuisse, quin & in suis scriptis haud pauca proposuisset, quæ omnino ad Juris naturalis scientiam promovendam facere possunt, tantum abest, ut nostra sententia cum ipsius opinione conveniat, ut potius toto, quod ajunt, cœlo a se invicem discrepent. Quamvis enim in *Leviathan. Cap. XXVIII. sub init. jus hoc vitæ & necis ex jure se conservandi repetendum esse judicet: tamen iterum*

a nostra sententia longissime recedit, quando statuit, competere homini in statu naturali facultatem pro suo arbitrio de conservatione sua judicandi, summum vero Imperantem jure vitæ ac necis non ob delationem, a civibus factam, sed capropter gaudere, quoniam in societate civili solus adhuc juribus status naturalis fruatur, ipsumque hoc jus, prout lubuerit, vel reipublicæ utile judicaverit, exercere posse. Quæ omnia salvis suis principiis, in se quidem & falsissimis & perniciosissimis, qualia sunt illa: in statu naturali jus omnibus esse in omnia; antecedenter ad Imperantem ejusque voluntatem non dari justum vel honestum; quicquid is vero velit, jubeat, agat, justum esse & legitimum, non poterat aliter definire. Quæ P V F E N D O R F F I V S huic HOBESII opinioni opponat, legi possunt in ipsius opere majore *de Jure Naturæ & Gentium Lib. VIII. Cap. III. §. 1.*, ubi an rem acu tetigerit, nostrum hic non est disquirere, quorum tantum erat finistras a nobis suspiciones amoliri.

### §. XVI.

Sed occurrentum est alii cuidam difficultati, quæ sententiæ nostræ magis videtur esse contraria. Est forte, qui adversus nos insurgat, nobisque opponat, sufficienter quidem a nobis ostensum esse, competere summo Imperanti facultatem a civibus delatam, ut singulos defendat, ipsorum injurias vindicet, eorumque securitati prospiciat, & quidem in his omnibus, si opus fuerit, cum cæde ludentium; at vero id omne pertinere ad satisfactionem privatam; jus autem vitæ & necis constituere partem juris puniendi, quod satisfactionem publicam pro objecto habeat; ex his vero nondum intelligi, quomodo summo Imperanti etiam hoc nomine Jus vitæ & necis competit. Fateor deesse adhuc aliquid in demonstratione, quod ipsum vero supplendum consulto in hunc locum reservavimus.

mus. **Omnia autem ex iis ipsis, quæ jam stabilivimus, pro-**  
**no fluunt alveo, & facili negotio intelliguntur.** Scilicet  
quemadmodum singuli homines in statu naturali juribus  
illis gaudent; ita & tota civitas ut persona moralis consi-  
derata non potest non iisdem esse prædita; & quemadmo-  
dum illi, dum civitati se adscribunt jura hæc sua in sum-  
mum transferunt imperantem: ita & hæc eodem modo,  
per delationem, horum jurium sibi competentium exerci-  
tium summo imperanti committit. Fieri autem non potest,  
ubi membrum civitatis ita læditur, ut satisfactio ipsius pri-  
vata cædem lædentis exigat, quin simul etiam securitas pu-  
blica violetur, cujus generis attentatum vitam, ut sic lo-  
quar, societatis in discrimen adducit, adeoque eandem sa-  
tisfactionem publicam requirit. Dum itaque summus Im-  
perans jus suum vitæ ac necis adversus atrociter delinquen-  
tes exercet, simul satisfactio & publica & privata exigitur;  
& cum sic ut superior malum passionis ob malum actionis  
inflicat, omnino punit.

## §. XVII.

Et si cui forte hæc nondum demonstrativa esse videantur, præsidium nobis patet in auctoritate illustris WOLFFII, cui solemne fuit, omnia sua rigidis demonstrationibus munire, quique, uti B. CANZVS, de quo §. VIII. diximus, *Fus gladii ex Jure se suaque defendendi nasci adserit.* Quam propositionem sequentibus ratiociniis demonstrat, quæ ipsis ejus verbis dabimus, omissis tamen, si sine piaculo fieri potest, frequentibus citationibus §§. antecedentium, ut pote nobis nihil profuturis sine transcriptione ipsorum, ad quæ provocatur, locorum, quæ profecto satis amplum volumen requireret. Ita vero Vir illustris in *Jure Naturæ methodo scientifica pertractato Part. VIII. Cap. IV. §. 835.* differit: *Fus gladii nascitur ex jure se suaque defendendi. Universitas enim in civitate spectatur tanquam persona moralis, quæ*

*injuria affici lædique potest. Quamobrem cum unicuique homini competit jus se suaque defendendi; jus se suaque defendendi aduersus lædentes universitati in civitate, seu Reip. competit. Enim vero se suaque & pudicitiam suam defendere licet cum interfectione lædantis, si periculum læsionis aliter averti nequit. Ergo etiam jus defendendi se suaque Reip. competens per demonstrata extenditur usque ad interfectionem lædantis, si periculum læsionis aliter averti nequit. Quamobrem cum non alio fine puniantur crimina, quibus damnum datur, vel injuria afferatur universitati in civitate seu Reip., quam ut periculum læsionis ab ea avertatur; jus pœna capitali afficiendi criminum patratores Reip. competit, consequenter Jus gladii, propterea quod se suaque defendere licet usque cum interfectione lædantis, si periculum aliter averti nequit. Patet itaque, jus gladii nasci ex jure se suaque defendendi. Ne vero nimis cumulemus allegationes, ex iis, quæ præterea quoque in nota adjecit Vir illustris, nihil addendum putamus.*

### §. XVIII.

Uti vero jam nihil superesse existimamus, quod ad sententiæ nostræ confirmationem desiderari possit ulterius, utpote ex antecedentibus sufficienter intelligendæ & argumentis sat firmis suffulta: ita non potest non omnibus patere, hanc Jus vitæ ac necis explicandi viam ita esse fœcundam, ut saluberrimæ inde deduci possint consequentiæ. Quis enim non ultro jam perspicit, vitam subditorum nequaquam esse in dominio summorum Imperantium, atque hujus juris exercitium arctis omnino circumscribi limitibus? Deinde facile hinc derivari potest regula generalis, ex qua dijudicari potest, utrum delictum aliquod sit ejusmodi, ut in illud ultimo supplicio animadverte queat, nec ne? Quæcunque enim securitatem vel singulorum, vel totius Republicæ non in discrimin adducunt, ea licet pœnis etiam gravioribus coerceri & reprimi possint, capita-

capitalem tamen non requirunt. Non negamus allegari posse casus, ubi etiam delictis, in quæ hi characteres non cadere videntur, poena capitalis statui solet in civitate, neque tamen eapropter has poenas injuste infligi dicimus; sed neminem fugit id tum fieri, quando per legem DEI positivam universalem, quæ multis probatur, hujus generis poena præcepta fuisse contenditur. Sed alia præterea suppetit ratio, ex qua dubium hoc facile potest resolvi. Videntur scilicet illi casus tantum ejusmodi, ut hi characteres in eos haud cadant. Licet enim non semper uterque adsit, posterior tamen ut obtineat necesse est. Licet, inquam, singulorum securitas non exponatur periculo, ut tamen publica per illa delicta labefactetur oportet, quæ certe, si legibus obsequium denegetur, non poterit non corrue. Qui igitur nulla lege naturali obsequii denegationem injungente ea committunt, quæ Legibus civilibus sub capitibus poena sunt vetita, ii recte pro turbatoribus & infractoribus pacis securitatisque publicæ habentur, & hoc nomine vita quoque privari juste possunt. Optime proinde B. ROESLERVS in dissertatione superius allegata §. 14. Mortem, inquit, meretur, qui comminatione mortis in sanctione penali legis contenta, absterreri se non patitur, quo minus sciens volensque legem violet.

### §. XIX.

Sed regeris forsan, hac ratione nobismet ipsis nos contradicere, qui vix dixerimus, subditorum vitam non esse in summorum Imperantium dominio, Jurisque vitæ ac necis exercitium arctis omnino circumscribi limitibus. Si enim, pergis, recte infligitur poena capitalis iis omnibus, qui, quæ sub poena capitulis lege civili sunt vetita, admittunt, summus utique imperans pro lubitu grassari potest in civium vitam, dummodo quamcunque legum suarum transgressionem ultimo supplicio vindicandam esse pro-

pronunciet. Sed facilis est responsio. Quando enim contendimus, quæ sub capitis poena sunt vetita sine ipsius quoque securitatis publicæ infractione violari haud posse, non simul quoque statuimus, summum imperantem, quæcumque lubuerit, sub eadem gravissima poena posse vetare, sed supponimus potius, cum juribus suis nequaquam esse abusurum, neque in quicquam capitales pronuntiaturum esse poenas, nisi per quod ipsa reipublicæ salus in discriminem adducitur. Quodsi enim levioribus quoque delictis capitis poena statuatur, non quidem habebunt legis transgressores, de quo conquerantur, quando tam severas luunt poenas, cum scientes & volentes in hanc se precipitarint calamitatem, sed tamen dici non potest summo Imperanti jus fuisse tam severas poenas irrogandi.

### §. XX.

Quantumcunque igitur etiam sit Jus summi Imperantis in definiendis poenis capitalibus, illud tamen dici non potest illimitatum, sed, si recte administrandum sit, tumdemum locum invenit, quando nulla alia via saluti publicæ potest prospici. Et optandum omnino esset, ut in ejusmodi legibus ferendis cum Imperantes induerent animum, quem mitissimus ille imperator Romanus demonstrasse prohibetur, qui, quoties mortis sententia ab ipso confirmanda & subscribenda erat, exclamasse fertur: *Quam vellem nescire literas!* ne ipsorum leges, quod de DRACONIS legibus veteres dixerunt, sanguine scriptæ esse videantur.

T A N T V M!

